BERNARDUS CLARAEVALLENSIS
Österreich, 12. Jh. Seite 21r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26281
Copyright: Admont, Benediktinerstift



transituras dissipes. et exsuffles a facie considerationis tue.
occurret tibi homo nudus et pauper. et miser. et miserabilis.
homo dolens. quod homo sit. erubescens quod nudus sit. plo
rans quod natus sit. murmurans quod sit. homo natus ad la
borem. non ad honorem. homo natus de muliere. et ob hoc cum
reatu. breui uiuens tempore. ideoque cum metu. repletus mul
tis miseriis. et propterea cum fletu. et uere multis. quia corpo
ris et anime simul. Quid enim calamitate uacat nascenti in
peccato. fragili corpore. et mente sterili. Vere ergo repletus.
cui infirmitas corporis. et fatuitas cordis. cumulatur traduce
sordis. mortis addictione. Salubris copula. ut cogitans
te summum pontificem. attendas pariter uilissimum cinerem.
non fuisse. sed esse. Imitetur cogitatio naturam. imitetur et quod
dignius est auctorem nature. summa imaque consocians.
Nonne natura in persona hominis uili limo uite spiraculum
colligauit. Nonne auctor in sui persona uerbum. limumque
contemperauit. Ita tibi sume formam tam de nostre concre
tione originis. quam de sacramento redemptionis. ut altus
sedens. non alta sapiens sis. sed humilia de te sentiens. hu
milibusque consentiens. Proinde si consideras quantus
es. cogita etiam. qualis et maxime hec te sane consideratio
tenet in te. nec a te auolare sinit. non ambulare in magnis.
neque in mirabilibus super te. In te consistito. Noli infra deici.
non attolli supra. non euadere in longius. non extendi in latius.